



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 6. De Nestorio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

tit ut eum, & impia ejus conscripta, & omnes qui suscipiunt, vel defendunt eum, & dicunt orthodoxe eum exposuisse, & qui scripserunt pro eo & eadem illi sa- puerunt, &c. Talis anathema sit.

ARTICULUS VI.

De Nestorio.

Nestorius Germanicia Syriae oppidulo oriundus, postquam varia peragrasset loca, Antiochia se- dem fixit. Ibi pocedente tempore in clerum admis- sus, ad presbyteratus gradum postmodum promotus est. In liberalibus disciplinis mediocriter eruditus est, apud inconsideratum vulgus plurimum valebat cano- ra quam diligenter exercuerat, voce, & expedita facundia. Fulca veste indutus, & vultu ad tristitiam composito incedebat, corporis pallore ciborum ab- stinentiae laudem aucupans. Raro prodibat in publi- cum, sed solitarius domi manebat, in libris versan- dis assiduus: *Hoc habuit, inquit, Thodoretus, & hac simulatione multos inescans* (seu ludificans) *ma- gnanim etatis suae partem peregit, ut Christianus vide- retur, magis quam ut esset, persequens, & Christi glo- riam suam praeferebat*. Quare cum populum docendi mi- nus suscepisset, non studuit ea dicere quae animabus excolendis & ad Christianam pietatem informandis idonea essent, sed quae imprudentis vulgi aures de- mulcere, ejusque plausum possent conciliare, quod & affectus est.

Sisinnio, qui Attico in Episcopatu Constantino- politano successerat, anno 427. desinente vita fun- do, & in ejus locum multis Philippum presbyte- rum, nec paucioribus Proclum, quem Sizinus Ci- zicenorum Episcopum ordinaverat, quique ab illis non receptus, in clero Constantinopolitano reman- serat, subrogari summo studio contententibus, latius Imperatori visum est, peregrinum hominem Antio- chia evocare, Nestorium scilicet, ut virum sanctum, & docendis populis maxime idoneum.

Post tres igitur menses, jubente Theodosio juniore, Constantinopolim adducitur Nestorius, aetate senex, sed vanae gloriae cupiditate juvenis, lupus sub ovina pelle latens, illaudabilis, sed tamen à plurimis ob af- fectatam praesertim temperantiam laudatus. Anno 428. Aprilis die 10. ordinatus Episcopus, illico coram universo populo Imperatorem sic affatus est: *Da mihi terram haereticis purgatam, & ego vobis coelum retribuam. Mecum haereticos debella, ego Persas tecum debellabo*. Ventosam hanc vocem cum plausu excepit vulgus imprudens, cui invisi erant haeretici, at sapientibus talem se Nestorius, qualis re ipsa erat intrinsecus, hoc est, levi, inanis gloriae cupidi & praecipitis animi hominem probavit, quippe qui aqua civitatis vix ac ne vix quidem delibata, acerrimum se persecutorem ostenderet, innumerisque extrema quaque minitaretur.

Pontificatus dignitate Nestorius, ut cum Theodo- reto loquar, velut tyrannide arrepta, quinto post ordi- nationem suam die, ut pergit narrare Socrates, lo- cum, in quo Arianis secretos conventus agebant, ever- tere aggressus, eos adduxit in desperationem, sic ut ipsi in illam suam sacram aedem iniecerint ignem, quo vicinae domus deflagrarent, quam ob rem eum Incendiarium vocarunt non haeretici modo, sed etiam Catholici. A Novarianis vexandis primariorum viro- rum admonitionibus agrè deteritus est. Magnis per Asiam, Lydiam, & Cariam Quartadecimanos affectu calamitatis, plurimique ejus causa, seditione facta, Miletis & Sardibus interiere. In Helleponto per Anto- nium quendam, Germæ civitatis Episcopum, Ma- cedonianis acerbè exagitavit. Hi vexatione aliquan- diu patienter tolerata, cum Antonius Nestorio mo- rem gerens, eos vehementius persequi instituisset, spe salutis abiecta, illum interemerunt, in cujus secleris poenam, suadente Nestorio, Macedonianis Ecclesias suas addemit Imperator, nec tamen, nisi pauci ad ve- ram Ecclesiam, relicta haeresi, sese contulere.

Simonnet Theol. Tom. II.

Dum sic Nestorius inconsideratè & contra episco- pam mansuetudinem modis omnibus insectatur haereti- cos, haereticus ipse, fit imò & haeresiarcha. Rem sic narrat Socrates, Anastasius quidam praesbyter, quem Nestorius secum Antiochia abduxerat, & cujus in rebus gerendis utebatur consilio, quadam, die cum in Ecclesia doceret praesente Nestorio, hæc protulit verba: *Nemo Mariam vocet Deiparam. Maria enim homo fuit. Ex homine autem Deus nasci non potest*. Multi tam ex clero quàm ex plebe, qui ade- rant, hac blasphemia conturbatis, ingens in Ecclesia tumultus exortus est nec tamen Nestorius Anastasium coegit ad palinodiam; è contra verò & tunc postea in concionibus suis quod dixerat Anastasius confir- mare, & contra Deiparae vocem disputare non destitit. Socrati planè consentit Evagrius, lib. 1. hi- stor. cap. 2. ubi addit Nestorium, cum profisceretur Constantinopolim: Mopsuestia transisse, ibique cum Theodoro congressum, audita illius doctrina, à recta pietate deflexisse. At jam aliàs Theodori auditor fue- rat Nestorius, venenumque altis visceribus demiserat. Quidni ergo potius dicatur cum Theodoro delibera- se de publicanda tandem haeresi, quod à se fausto exi- tu factum iri sperabat, postquam regiae urbis Epi- scopatum adeptus esset?

Hoc Anastasii factum, quod post Socratem & Eva- grium commemoravimus, non meminit S. Cyrillus, sed aliud simile, aut etiam pejus Dorothei cujusdam enarrat in sua ad Celestinum Pontificem contra Ne- storium epistola. *Erant, inquit, Episcopus quidam, Dorotheus nomine, Constantinopoli, eadem quæ Ne- storius sapiens & sentiens, vir questus causa adulationi impensè deditus, linguaque ad temeritatem usque, ut scriptum est, promptus. Hic dum frequens esset in Ecclesia populus, reverendissimo Nestorio in cathedra Constantinopolitana Ecclesiae sedente, surrexit, & ma- gna elataque voce inclamare ausus est: Si quis Mariam Deiparam dixerit, anathema sit. Mox ingens univer- si populi clamor, & discessio consecuta est. Nec solum conticuit (Nestorius, ut S. Cyrillus narrat in alia epi- stola) cum haec illum loquentem audiret, verum eundem quoque ipsam ad mysticam communionem mox admif- sit, mysteriorumque participem effecit. Quod etiam testatur idem Cyrillus sub finem citatæ ad Celesti- num epistolæ, ubi ait, memoratum Dorotheum ut sic loqueretur, à Nestorio fuisse inductum, subor- natumque.*

Hoc autem factum Dorothei non pugnat cum Ana- stasii facto: utrumque enim potuit contingere, & fa- cile credimus contingisse, sed diverso tempore: sicut Anastasius praelocutus fuerit, & quasi praesulerit fabu- læ; unde nec tam durè locutus est: Dorotheus ve- rò non nisi postea, cum ageretur tragedia, & hinc inde animi incaluerant, in blasphemum suum ana- thema eruperit. Hoc apertè S. Cyrillus significat in sua ad Celestinum epistola, ubi ait: *Cum verò fore sperabamus, ut medicinam admitteret, atque ab iis, quæ contra Christum docuerat, abstergeret; comperimus hac nos spe frustratos esse, cum tale quid contingis- set. Erat Episcopus quidam, &c. ut supra*. Jam igitur contra Christum & Matrem ejus publicè insurre- xerat Nestorius; jam ea de re ad Nestorium Cyrillus scripserat, illumque per litteras suas hortatus fuerat, ut à perversa illa doctrina, quam publicè tradebat, resipiscere, cum Dorotheus, ab eo inductus & subor- natus, in Ecclesia coram frequenti populo protulit anathema adversus eos, qui Mariam Deiparam dice- rent. Et tunc primum omnem emendationis Nestorii spem deposuit Cyrillus, cum tale Dorothei facinus, & Nestorii conniventiam auditione accepit.

Ante hæc homilia Nestorii, quas in Ecclesia Con- stantinopolitana publicè recitavit, & in quibus de, vel potius contra incarnationem differebat, ab ejus gregalibus, sumptibus non exiguis passim dispersæ fue- runt, & in Egyptum usque perlatae. *Ubi autem leves quosdam homines in errorem abductos, retinebat ille (Ne- storius) sentiret & loqueretur, an secus, anxie inter se disquirere cognovit Cyrillus, metuens ne*

Ec 3 forte

Lib. 7. cap. 32.

Tom. 3. Conc. pag. 341.

Tom. 3. Conc. pag. 341.

Tom. 3. Conc. pag. 328. & 9.

Tom. 3. Conc. col. 341. & 4.

forte morbi contagium in simpliciorum mentibus altiores radices paulatim ageret, ad Egypti monasteria generalem epistolam scripsit, nutantesque in recta fide confirmavit. Cujus quidem epistola exempla ad Constantinopolitanam urbem deportata, ibidemque lecta, tanto adjumento fuerunt, ut plurimi è magistratu ejus rei causa per litteras Cyrillo gratias egerint.

Hæc Cyrilli ad monachos epistola, quam Alexandrini quidam circumferebant, in furorem egit Nestorium; qui exinde cæpit ad perdendum Cyrillum nullum non movere lapidem. Quod cum à viris fide dignis, qui Constantinopoli Alexandriam venerant, reicivisset Cyrillus, ad Nestorium dedit litteras, in quibus ait, non à se, sed ab illo Ecclesias esse turbatas; plurimos scriptis ejus seductos jam esse; catholica veritate in eminenti periculo posita, se tacere non potuisse. Cum ergo, inquit, pietas tua hanc murmurandi necessitatem attulerit, quo quæso jure me incusat? Cur obis in me flagrat? Cur temere me allatrat? Cur potius emendata oratione orbis offensionem non sanat? Tum sic eum adhortatur: Ne graveris, obsecro, iis qui non leviter offensi sunt, unam hanc Theotocos vocem largiri, sacramque Virginem Deiparam appellare. Denique hæc verba Apostolico viro planè digna subiicit: Certò autem pietas tua persuasum habeat, nos & vincula, & carceres, & cetera omnia ejusmodi incommoda, quin & ipsum quoque vitæ discrimen propter Christi fidem adire paratos esse.

His Cyrilli litteris per Lamponem presbyterum acceptis, vix adduci potuit fastidiosus Hæresiarcha, ut redderet brevissimas, & arrogantiam hominis spirantes, quibus prodebat exarcebatum animum, & obfirmatum in hæresi propositum. Nihil igitur minus perrexit Nestorius cum Cyrillo agere hostiliter tum per se, tum per sceleratissimos quosdam, qui ad eum Alexandria transfugerant, homines. Quod probè sciens Cyrillus, sed flocci faciens quæ adversus eum machinabantur adversarii, Deoque qui omnia potest & movet, omnia committens, alteram rursus epistolam, quæ rectæ fidei accuratissimam expositionem brevi compendio complecteretur, ad Nestorium exaravit, hortans obtestansque, ut ad modum, quem epistola præfinit, sapiat & loquatur. Hæc porrò secunda Cyrilli ad Nestorium epistola postmodum in Ephesina Synodo lecta fuit, atque unanimi Patrum consensu approbata.

Hæc secunda epistola apud Nestorium non plus profecit Cyrillus, quam prima, sed è contra perverissimum animum exulceravit magis. Nestorius itaque ad Cyrillum reddidit litteras arrogantia plenas, quæ postmodum in Ephesina Synodo lectæ, uno omnium ore anathematizatae fuerunt, ut blasphemias referret. In his porrò litteris homo indoctus æquè ac superbus, doctorem ætatis illius longè maximum, hoc est, ut ajunt, *Sus Minervam*, docere aggreditur; miserabiliter differens torum suæ hæreseos virus evomit; orthodoxos ut Apollinaristas, Arianos, & Manichæos calumniosè traducit, denique sibimet ipsi putidè plaudens, apertè & inverecundè mentitur dogmata sua placere Imperatori, & in dies crescere & augeri multitudinem eorum, qui eam amplectuntur. Nam, ut Cyrillus in sua ad Celestinum epistola narrat: Plebs Constantinopolitana (levibus quibusdam vanisque hominibus, & iis qui Nestorio adulabantur, duntaxat exceptis) à Synaxi abstinebat. Abstinebant ab eadem omnia penè monasteria, eorumque Archimandrite, Abstinebat & magna quoque pars senatus, verentes ne ipsomet, & illis quoque quos, Antiochia discedens, inde secum abduxerat, quidvis perversum evomentibus, aliquod in fide detrimentum acciperent.

Dum ita cives Constantinopolitanos sponte & carerebatum ad se confluerent, Nestorius, & suorum, pro hæreticorum more, multitudinem venditabat, paucitatis eorum conficius furebat Constantinopoli, plagas, exilia, carceres minitendo iis, qui eum eo communicare renuerent; nec dici potest, quanta populum, clericos, & monachos immanitate

vexarit. Conjecturam habemus in Celestini ad clerum & populum Constantinopolitanum epistola, in qua sic ait Pontifex: *Indixit injurias* (Nestorius) *indixit exilia, ille* (Christus) *in suis hæc passus est, quem suscepisse pro nobis hominem* (Nestorius) *differetur*. Superius dixerat: *Fratri & Coepiscopi mei Cyrilli per fratrem meum Possidonium diaconum ad me directæ relatio, ea contra vos agi loquitur, quæ potest in Ecclesia membra agere, qui ejus capiti non perperit*. Nemo impunè Nestorio sese opponebat. Populus ad laica tribunalia trahebatur, & flagris crudeliter cadebatur. Clerici excommunicabantur, exautorabantur. Monachi virgis discabantur, fame encabantur, vinculis ferreis onerabantur, detrucebantur in carceres. Aliqui publicè caesi & flagris disseis in exilium pellebantur. Pecuniis & corruptorum quorundam hominum potentia fretus, proculcatis juriis omnibus, nihil non audebat Nestorius contra orthodoxos sub oculis Imperatoris ipsius, ab aulicis quibusdam, quos sibi devinxerat Hæresiarcha, delusi. Confule supplicationem Basilii diaconi.

Nestorius rabiè adinstar lupi gregem suum dilanians, arrogantia illa, quæ mortales omnes vilipendebat, dementatus, in ipem venit ad partem suam trahendi Romanum Pontificem Celestinum. Scribit igitur semel atque iterum ad Celestinum, primum omnium fingens nescire se quid tenendum esset de Juliano & aliis Episcopis Pelagianis, qui tunc Constantinopoli aderant (eum tamen ignorare non posset eos à Sisinnio decessore suo fuisse rejectos, & ad Attico, cui Sisinnius successerat, in Constantinopolitana Synodo damnatos) & naviter mentiens asserendo Episcopos illos à se receptos non esse, cum tamen illos apud se haberet, & cum illis communicaret.

Suum in veritate catholicam studium commendat, suamque severitatem cum lenitate conjunctam erga ægros, hoc est, orthodoxos, quos Apollinari & Arianis morbo laborare calumniatur, quoque tunc infectabatur immaniter. Et postquam Catholicis absurdissimos Apollinaristarum errores impudenter impiegit, addit eos audire Virginem dicere Theotocon, eamque Christotocon dicendam esse contendit, sic tamen ut permittat eam utcumque Theotocon dici, non quod sit Mater Verbi Dei, sed quod generit templum, quod Verbum Deus inseparabiliter inhabitat. Denique se pro illa impietate non frustra decertasse, eamque multos tandem amplexos esse gloriatur. Præter epistolas autem, quarum, stylus ventotum nescio quid ubique redolet, per Antiochum virum illustrem expositionum suarum blasphemias infartatur quaterniores misit ad Pontificem.

Eodem illo fere tempore, & aliquantò post Nestorium, ad eundem Pontificem scripsit quoque Cyrillus, cum omnem Nestorii ad sanam mentem revocandi ipem amisisset, fidemque orthodoxam cernebat in extremum discrimen adductam. In epistola sua, cujus jam meminimus, exponit nefandum Dorothæi facinus, luctuosum Ecclesiæ Constantinopolitanae statum, Nestorii in propugnanda heterodoxa doctrina pertinaciam, ardens ejus in se odium, machinationesque; & quid ipse pro defendenda veritate catholica, sanandoque Nestorio egerit. Sed & graphicè hujus Hæresiarchæ superbiam exhibet his verbis: *Se omnibus* (Episcopis) *sapienterem existimat; se solum divina Scriptura scopum attingisse, se solum Christi mysterium cognovisse opinatur*. . . . : *fastu immens, insidiisque ac sedis potentia fretus, effecturum se arbitratur, ut & nos ipsi & reliqui omnes sue sententiae subscribamus*. His porrò conlonat id, quod Basilii in supplicatione sua ait de eodem Nestorio: *Non Deum timeat, nullum hominem vereatur, nullum Episcopum veneratur, nullum sacerdotem aut clericum, aut sanctum monachum, aut religiosum laicum honorat; nullam penam inquis decretam formidat, nullum de-*

que, &c.

Suam ad Celestinum epistolam Cyrillus Romam misit per Possidonium diaconum, cui etiam testimonia ortho-

Eod. Tom.
col. 372. col.
369.

Eod. Tom.
col. 438. &
369.

Col. 349.

Col. 361.

Col. 350. &
369.

Col. 351.

Col. 353.

Col. 340. &
369.

Col. 344.

Eod. Tom.
col. 439.

Col. 345.

Col. 341.

orthodoxorum Patrum à se collecta, homilias Nestorii, & eas, quas ad eum scripserat, epistolas tradidit ad Pontificem perferendas. Acceptis iis quæ alterò citroque scripta & ad se transmissa fuerant, Celestinus Synodum suam convocavit, ex qua ad Nestorium scripsit epistolam apostolico vigore plenam, & qualem scribi decebat à supremo universalis Ecclesiæ Pastore, cui fratres in fide confirmandi munus à Domino commissum est. Quàm pauci essent cum Nestorio, qui tam de suorum multitudine insolente gloriabatur, ostendit his verbis: *Quo conscientia vivis, pene ab omnibus in hac civitate desertus?*

Col. 356.

Col. 356. & seq.

Postquam Nestorio prophanas novitates suas vehementer exprobat, excommunicationem ipso facto incurendam, nisi mox ad sanam redeat mentem, ei denunciat, & Hæresiarcharum exitium ob oculos ponit. Tum in fine epistolæ sententiam, per Cyrillum cui in hoc toto negotio vices suas committit intimandam, profert qua Nestorius, nisi intra decem diem, à primo innotescendum ei harum litterarum die numerandam, perfidam novitatem deposuerit, atque aperta & scripta confessione damnaverit, declaratur, hoc ipso *ab universalis Ecclesiæ catholica communione dejectus, & ad omnia quæcumque sacerdotalis auctoritatis sunt, minime idoneus.* Hæc autem postrema verba: *Et omnia quæcumque, &c.* quæ casu aliquo ex epistola ad Nestorium exciderunt, leguntur in sententiâ, qualis extat in calce epistolæ ab eodem Celestino ad clerum Constantinopolitanum eodem tempore scriptæ.

Col. 373.

Eod. Tom. col. 380.

Hanc autem sententiam adversus Nestorium à Celestino laram fuisse in Romana Synodo, præmissa expositione Nestorii & epistolarum manu ipsius subscriptarum sufficienti examine, testatur S. Cyrillus in sua ad Joannem Antiochenum de Nestorio epistola, in qua postquam Joannem admonuit, ab eadem Synodo ad ipsum, ad Juvenalem Hierosolymitanum, & ad Rufum Thessalonicensem, nonnullosque alios Macedoniæ Episcopos, de sententiâ, quam contra Nestorium tulit, litteras esse perscriptas, Joannis cum Nestorio amicitia non ignorans, & quæ postea evenerunt, quali tubodrans, sic eum alloquitur: *Jam tue pietatis fuerit, quid in rem futurum sit disingenter expendere. Nos enim sequemur, quæ illi indicaverunt. Peremur namque ne à tantorum communione excidamus.* Porro si idem veritus fuisset Joannes Antiochenus, nefandi postea schismatis scelere se ipse non polluisset; sanctissimos Episcopos, imò & Oecumenicam Synodum excommunicare non tentasset: neque in tantum veritatem catholicam, quam ipse tenebat discernere adduxisset. Sed ad rem nostram redeamus.

Col. 349.

Col. 376.

Col. 364. & seq.

Celestinus itaque ex Romana Synodo, præter eam, quam ad Nestorium exaravit, epistolam ad notificandam sententiam contra illum laram, plures alias scripsit, datas eodem tempore, nempe die 11. Augusti anno 430. unam quidem, ut par est credere, communem ad Rufum Thessalonicensem, Flavianum Philipensem, Joannem Antiochenum, & Juvenalem Hierosolymitanum, cujus epistolæ exemplum Joanni Antiocheno inscriptum extat tom. 3. CC. & alias singulares duas, unam prolixam ad clerum & populum Constantinopolitanum; in qua populum admonet, à Nestorio instauratam esse eandem illam impietatem, propter quam olim Paulus Samozatenus à catholicis sacerdotibus Antiochena sede dejectus est, adeoque sibi à falso pastore caveat, ejusque noxia paucua devitet: tum sermonem convertens ad clericos, consolatur eos, hortaturque ut in bono proposito constantes sint sanos confirmet, curent laucios; nullas præterea & irritas esse declarat excommunicationis vel depositionis sententias à Nestorio ex quo hæresim suam prædicare cepit latas; & sententiam contra illum in Synodo Romana prolatam, atque executioni per Cyrillum, cui in hoc negotio vices suas se delegasse significat, mandandam subjicit epistolæ suæ.

Altera epistola est ad Cyrillum, quem Celestinus, *Simonnet Theol. Tom. II.*

magnopere laudata prius orthodoxa ejus doctrina, eruditione, constantia, atque fortitudine in avita & recta fide tuenda, prophanisque novitatibus oppugnandis, vicarium suum in Nestorii negotio constituit his verbis: *Nostre Sedis auctoritate adscita, nostraque vice & loco cum potestate usus, ejusmodi non absque exquisita severitate sententiam exequeris, nempe ut nisi decem dierum intervallo ab hujus nostre admonitionis die numerandorum, nefariam doctrinam suam conceptis verbis anathematizat. illico sanctitas tua illi Ecclesiæ prospiciat. Is vero modis omnibus se à nostro corpore segregatum esse intelligat.*

Eod. tom. col. 345. & seq.

Col. 385.

Col. 377.

His Cyrillus litteris per Possidonium diaconum, cui præfatas omnes epistolas perferendas Celestinus tradiderat, acceptis, unâ cum ea quæ Nestorio reddenda erat epistola, scripsit ad Joannem Antiochenum, & ad Juvenalem Hierosolymitanum; ad Juvenalem quidem, quem apprimè catholicum esse sciebat, ut in fidei defensionem zelum ejus accenderet, eamque que sibi in hoc negotio, laboranti Ecclesiæ Constantinopolitane subveniendi gratia, socium & adiutorem conciliaret: ad Joannem verò Nestorii amicum, ut ei significaret Nestorium, postquam hæresim suam prædicarat, multoties, ut resipisceret, frustra admonitum, nullam excusationis causam habere posse; postquam ad stabiliendam impietatem suam nihil non molitus esset, nullam mereri indulgentiam; æquissimo Occidentalium Episcoporum, quibus omnes Macedonia Episcopi certo certius accessuri erant, decreto paritum se, atque in exequendo judicio contra Nestorium propter ipsam fidem, universasque orbis terrarum turbatas Ecclesias, & communem populi (Christiani) ædificationem lato, Romano Pontifici obsecuturum.

Acceptas Celestini & Cyrilli litteras Joannes ad Nestorium misit, propriasque adjunxit amicissimas, ac simul animo verè catholico scriptas, in quibus salubria amico dat monita, ingentes, quas in Ecclesiâ excitavit turbas exprobrat; imminenti Ecclesiæ schismatis a monet; ad palinodiam in virat exemplo Theodori Mopuesteni, qui admonitus, sibi expositione quadam excidisse aliquid, quod ipsi Nestorio & aliis audientibus non rectè dictum videbatur, non post multos dies generosè in medium progressus, id quod se dictum fuerat, in gratiam Ecclesiæ, nihil quidquam veritus correxerat; orat, obtestaturque ut quoniam, ut fama est, germanum hujus vocis Theotocos sensum tener & profiteretur, non dedignetur confiteri vocem ipsam, quæ à multis sæpe Patribus usurpata, scripta, ac pronunciata est, à nullis verò unquam repudiata, aut impugnata, & quæ piam rectamque animis ingerit notionem; qua repudiata, in gravissimum errorem necessarid prolabimur, cum hoc ipso ineffabilem illam unigeniti Filii Dei in incarnatione æconomias abnegamus; quia hoc ipso negamus, unigenitum Dei Filium salutis nostræ causam hominem esse factum.

Eod. tom. col. 388. & seq.

Col. 393.

Postquam autem Joannes breviter probavit, Verbum Deum ex solo Patre ab æterno secundum divinitatem genitum, in tempore quoque secundum carnem ex Virgine natum esse, hæc subjicit: *Quod si Virgo à sanctis Patribus propter hanc generationem Deipara nominatur, ut verè hoc nomine ab illis nominatur, nescio quorsum attinuerit, ut questionem hanc nequaquam necessariam ... & contra nos ipsos, & contra ecclesiasticam pacem quoque, ut vides agitandam susceperimus. Etenim nulli nos periculo exponimus, si ea sentimus & loquimur, quæ Doctores in Ecclesiâ Dei celeberrimos sensisse & docuisse certo novimus.* Ex quibus liquet Joannem Antiochenum ab hæresi Nestorii alienissimum fuisse, eique opinionem hanc altè animo infedisse, quod scilicet Nestorius questionem de voce tantum movisset, adedque non violatæ fidei, sed gravis iolum imprudentiæ reus esset. Qui error facti Joannem postea in detestandum schisma præcipitavit.

Dum in Nestorio ad sanam mentem revocando fru-

Ee 4

stra

End. 107.
Col. 196. &
159.

Col. 420. &
21.

Col. 420. &
24.

Col. 433. &
36.

Lib. 1. lib.
Eccl. c. 5.

Tom. 3.
Conc. col.
436.

sua defudat Joannes, Cyrillus suae dioceseos Synodum Alexandriae celebrat, & ex ea ad Nestorium unam cum Celestini litteris mittit synodicam epistolam, in qua catholica de incarnatione doctrina exponitur duodecim capitulis, quibus subjiciuntur Anathematismi totidem, quae Nestorius intra decimam diem, ab eo quo epistolas receperit die numerandam, jubetur scribere, sub pena excommunicationis & depositionis hoc ipso incurrendae vi sententiae à Celestino in Synodo Romana latae. Scripsit etiam Cyrillus duas alias epistolas, unam ad clerum & populum Constantinopolitanum, in qua, orthodoxa de incarnatione doctrina & Nestorii haeresi breviter proposita, admonet eos ut avitam fidem constanter retinentes, nullum prorsus commercium cum Nestorio habeant, nec aures illi accommodent, si pro pastore lapsus esse perrexerit; & post admonitionem ad illum destinatam, perversa sapere non destiterit. Alteram verò Archimandritas Constantinopolitanus, quos adhortatur, ut pro catholica fide viriliter decertare pergant, & certiores facit de hac ultima admonitione Nestorio facta, & poenis ab eo incurrendis, nisi intra tempus praescriptum paruerit, & rectam tandem inculpataque catholica Ecclesiae fidem voluerit agnoscere.

Nestorius acceptis Celestini & Cyrilli litteris, non modò non paruit, sed etiam impietatem impietate cumulans, Alexandrinae Synodi anathematismis infans alios anathematismos duodecim opposuit, quibus haeresim suam verbis involvens, anathematizavit doctrinam catholicam. Praeterea furens in Cyrillum, novis cum calumniis aggressus est apud Imperatorem, ita ut circumventus Imperator graviter commotus fuerit adversus sanctissimum Antistitem, ut ostendit epistola illa quam postquam Synodi Romanae & Alexandrinae litteris conventus est Nestorius, ad Cyrillum scripsit Theodosius, & quae incipit, *Pietate quidem*. Ex hac autem epistola apparet, Cyrillum apud Imperatorem à suis calumniatoribus infamatum fuisse, ut hominem rixosum, audacem, imperiosum, vanae gloriae cupem, & auctorem turbarum illarum, quas tamen non ipse, sed impius & contumax novator Nestorius excitavit in Ecclesia Constantinopolitana. Item Cyrillo crimini datum esse, quod inconsulto Imperatore, & sine generali Concilio, doctrinam Nestorii ut haeticam damnare praesumeret. Item Nestorianae novitatis fautores quosdam esse, Nestorium inauditum, vel saltem sine sufficienti & debita veritatis disquisitione condemnatum Cyrillumque non pro catholica veritate defendenda, sed pro tuenda privata opinione, eatenus acerbè inconsultèque gessisse omnia. Item Imperatori suggestum esse, si generalis convocaretur Synodus, ad eam Cyrillum minime venturum, nec aulurum in ea cum adversario congressi. Denique Cyrilli adversarios apud Imperatorem nihil non molitos esse, ut Cyrillum perderent, sed eorum conatibus obtulisse clementiam & religionem principis.

Narrat Evagrius Cyrillum, cum perensisset Nestorium neque suis, neque Celestini litteris acquiescere, sed nihil veritum adversus universam Ecclesiam proprium virus evomere, petiisse à Theodosio ut ejus mandato Synodus Ephesi congregaretur, sicque Theodosium, Cyrillo postulante, missis quaque imperialibus litteris Ephesinam Synodum convocasse. At hanc Evangelii narrationem salutaris aperte convincit tota illa Theodosii ad Cyrillum epistola modò citata, quae, quod notandum est, à Theodosio una cum encyclica illa, qua Episcopos ad conventum generalem invitabat, missa est ad Cyrillum, & sub finem haec habet: *Quamobrem & tuam quoque reverentiam ad tempus, quod aliis litteris ad universos Metropolitanos Episcopos missis significatur, praesto adesse oportebit: neque prius nostram amicitiam te recuperaturum confidas, quam omni turbatione & animorum aegritudine sedata, ad propositarum questionum discussionem ultro accurreris*. Siene, obsecro, Imperator alloqueretur hominem, quo petente convocaret Synodum generalem?

Constantinopolitanis igitur orthodoxis enixè expectantibus, ut patet ex supplicatione Basilii diaconi, & ipso, ut par est credere, Nestorio, qui apud Imperatorem per se, vel suos Cyrillum reformidare generale Synodum mentitus fuerat, appellante oecumenicum Concilium, Theodosius animadvertens nullum aliud superesse medium exortas in Ecclesia turbas sedandi, encyclicas scripsit litteras ad omnes orbis christiani Episcopos, quarum litterarum extat exemplar, inscriptum Cyrillo & Metropolitanis diocesis Aegyptiae, & datae leguntur xiii. Cal. Decembr. anno 430. His autem litteris jubentur convenire Ephesum post Pascha insequentis anni 431. & sacros Pentecostes die Concilium auspicari. Hanc porò Ephesini Concilii convocationem à Theodosio factam, ratam habuit Celestinus, ut constat ex ejus ad Theodosium epistola, in qua, laudata illius circa fidei catholicae defensionem sollicitudine, sic ait: *Hinc Synodo, quam esse iussistis, nostram praesentiam in his, quos misimus, exhibemus, pietatem vestram sub divini obsecrantes obsequio iudicii, ne quid turbida novitati licere vestra mansuetudo permittat*.

ARTICULUS VII.

De Synodo Ephesina, à qua Nestorius damnatus est.

§. I.

Anno igitur 430. Theodosius Imperator, turbas in Ecclesia excitatas, aliter quam per generalem Synodum sedari non posse ratus, encyclicas mittit litteras ad omnes orbis christiani Episcopos, die 19. Novembris datas, quibus jubet Episcopis, ut anno proximè sequenti post festum Paschae, quod eo anno incidit in 19. Aprilis, Ephesum conveniant, Synodum ipso Pentecostes die, qui fuit Junii 7. auspicaturi.

Primus Ephesum advenit Nestorius cum ingenti promiscuae plebis multitudine, & aliquanto post cum Cyrillus cum Episcopis, quos ex diocesi sua elegerat; ceteri etiam maturè adfuerunt Episcopi; Iohannes Antiochenus cum suis Orientalibus ad constitutum diem non adfuit. Cum autem ab eo accepisset Cyrillus litteras, quibus itineris longitudinem & molestias causabatur, & asserbat, & se cum suis intra paucos dies adfuturum, placuit Cyrillo praetolati adventum ejus, reclamantibus reliquis Episcopis, & asserentibus illum confessum interesse non velle, quod metueret ne forte Nestorius, qui ex illius Ecclesia assumptus fuerat, loco suo moveretur; quae res ipse fortasse solum pudorem incuteret. Sed quidni dicatur etiam Joannes amici damnationi & exhortationi interesse noluisse?

Diebus quindecim ultra praestitutam Synodo diem elapsis, & praemissis à Joanne cunctante aliquot Episcopis, qui ejus nomine Patres hortarentur, ut ne ipsum praetolarentur amplius, Synodus die 22. Junii anno 431. coepit, & septem actionibus seu sessionibus absoluta. Prædie autem illius dici, quo primus confectus habitus est, à Patribus destinati sunt ad Nestorium aliquot Episcopi, qui eum invitarent ad Synodum, quibusque unum hoc responsum dedit: *Rem perpendam; & si ita visum fuerit, adero*.

In magna igitur Ecclesia, quae appellabatur Maria, Patres praetato die congregati, sanctis Evangelii, quae ipsum Christum praesentem monstrabant, in throno, qui medium locum obtinebat, propositis, primam suam celebrantur sessionem, Cyrillo Celestini locum tenente, & praesidente. In hac autem prima, 1. lecta sunt Imperatoris litterae, quibus indicta fuerat Synodus generalis. 2. Declaratum est, satis superque expectatum esse Joannis & Episcoporum ejus adventum. 3. Episcopi quinque, qui pridie

Tom. 3.
Conc. col.
346.

Tom. 8.
Conc. col.
619 & 20.

Tom. 1.
Conc. col.
436.

Socr. lib. 7.
c. 34. Evagr.
lib. 1. cap. 3.
Relat. Synod.
di. tom. 3.
Conc. col.
567. Eod.
tom. col.
444. Epist.
Cyrilli eod.
tom. col.
562.

Ibid.

Relat. Synod.
di. eod.
tom. Col.
570.

Ibid.

Eod. Tom.
col. 445. &
159.